

dum successive cum Comitatuum interventu Vrbaria Dominalia, usui et Patriae illi accomoda, suo modo confici et regulari valebunt, excedant, subditosque suos ad plus praestandum cogant; sed neque novam etiam, donec aliter per Nos dispositum fuerit, a Subditis suis desumere audeant; adeoque tam in his, quam aliis quoque omnibus occasionibus, contribuentem Plebem ab indebitis et excessivis quibusvis Exactionibus et pressuris conservare studeant; sed nec ipsi quoque simile quid attentent antelati Comitatus Administrator et Officiales.

Secundo. Politica quaevis et provincialia, modalitate in Hungariae et Croatiae Regnis nostris passim introducta et usitata, in Comitatu sibi concredito tractabunt atque curabunt, adeoque in gremio illius, dum et quando necesse fuerit, Generales, cum interventu etiam, qui adesse volunt, Dominorum Terrestrium, vel eorundem Officialium, praeuiae semper per Currentales (uti moris est) invitandorum, Congregationes, pro tractandis ejusmodi publicis servabunt, quam etiam ad Generales fidelium Statuum et Ordinum Regni nostri Croatiae Congregationes, semper (dum vocabuntur) unum alterumve ex gremio sui exmittent Deputatos, proponenda ibidem, si quae nomine Comitatus habebunt, proposituros, vel inde vicissim, dum rediverint, de ibidem pertractatis et conclusis, Comitatu in proxima Generali Congregatione sua debitam relationem scripto facturos; praecipue vero eo solerter contendunt, ut quantum Contributionale a Contribuentibus de tempore in tempus sub onere dandarum desuper rationum debite semper exigatur et defectu absque omni persolvatur, solutum demum ad Cassam Comitatus colligatur, inde vero ad Cassam Bellicam Essekinii constitutam erga Quietantias Cassae Praefectorum fideliter administretur. Omnia denique, quae ab Incolis quocunque titulo praestanda veniunt, eo, quo spectant, in tempore aequae praestentur et administrentur; super omnibus autem perceptis et erogatis Constitutus Comitatus Perceptor mox finito Anno Militari cum requisitis probis et documentis sufficienter instructas rationes, prout in Hungaria usitatum est, Comitatu exhibebit, nolens vero vel intermittens, compulsivis etiam medijs, Lege idcirco praescriptis, per Magistratum cogatur. Singulariter autem eo intentus sit Magistratus, ut postquam ex noviter instituenda Comitatus Conscriptione, aequa et justa Proportio inter Contribuentes elaborabitur, illa debite pro futuro observetur, neque sine gravi ratione et publica Comitatus Determinatione in quopiam immutetur; ac in reliquo etiam ea, quae Leges Regni et signanter Articulus 63 Anni 1723 in praemissis praescribunt, exacte observare teneantur.

Tertio. Processus et Litigia, quae inter Terrestres Dominos vel alios Nobiles ibidem vertuntur, ac vi Legum Hungariae et Croatiae Foro Comitatusi dijudicanda concernunt, Magistratus pro administratione Justitiae per Partes suo modo requisitus et interpellatus, servatis de Jure servandis, in Comitatu sibi concredito dijudicanda assumet et decidet, Partibusque Justitiam juxta Regni Leges exacte et celeriter administret, admissa pro qualitate Causarum et dictamine Legum intra vel extra Dominium, si Causa adpellabilis sit, a Vice-Comite et Judicibus Nobilibus, in Partibus (uti dicitur) procedentibus ad sedem Judiciariam Comitatus, singulis annis quoties necesse erit in Comitatu debite aequae celebrandam, inde autem ad Tabulam nostram Banalem Appellatione; occasione vero celebrandarum Sedium Dominalium Judicium cum Jurassore praesentes